DEO DUCE

MEDITATIO S. EPISTOLÆ
DOMINICÆ PROXIMÆ
POST NATIVITATIS.

Additis S. Patrum dictis, Quæstionumq; aliquot decisione, ad uberiorem textûs cum opus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

QUAM
In Regiâ Aboënsi Academiâ,
PRÆSIDE,
DN. ÆSCHILLO PETRÆO, S.S.
Theolog. Doct: & Episcopo Aboënsi,
Examini subijcit in Auditorio Majori, horis solitis
Ad diem Febr: *Anni* 1655.
JOHANNES MICHAELIS Stigelius Alanus

Ambrosius in hunc locum

Hoc exemplo probat eos, qui sub lege fuerunt, parvulos fuisse circa meritum, nec libertatem habuisse, quia in conditione legis erant subjecti causa peccati.

Idem in locum hunc.

Si a filius & hæres per Deum dubium non est, quia ideò quis adoptat sibi filium, ut hæredem illam relinquat: sed hæreditas ex morte alicujus provenit. Quid est ergò ut mortales hæredes eius dicantur, qui semper vivit? sed Scriptura more nostro loquitur, ut intelligere possimus, ut enim ostendat daturum patrem filiis de bonis suis, hæc quæ daturus est, hæreditatem appellat.

ABOÆ

Impressa PETRUS Hanson Acad Typogr.

Admodum Reverendo & Excellentissimo VIRO

Dn. M. GEORGIO C. ALANO,

in Regia universitate Aboensi S. S. Theologiæ Professori Primario Celeberrimo, Civitatis utriusq; Ecclesiæ Aboensis ac Numensis Pastori Longe dignissimo, Patrono, Mecænati, Præceptori, promotori & benefactori suo ut indubitatissimo.

Ita quovis reverentiæ cultu summe honorando.

NEC NON

Reverendis Venerandis Humanissimis Præstantissimis ac doctissimis Viris ac Dominis.

Dn. Boetio Olai Murenio, Ecclesiæ Saltwijckensis Pastori vigilantissimo, Contractusq; Alandensis Præposito meritissimo, fautori, Promotori & benefactori Colendissimo.

Dn. Andreæ Henrici Alano, Pastori in Hammarlandh Dignissimo.

Dn. Magno Andreæ Solimontano, Verbi Divini comministro in Lemland fidelissimo, Patruo suo Charissimo.

Dn. Erico Erici Portulino, Coadjutori in Föglöö Laboriosissimo.

Dn. Laurentio Hoffman/ pauperum in Sielöö reddituum prætori maximè Industrio.

Meditationem hanc Sacram in gratæmentis testimonium dedicat & offert:

RESPONDENS.

MEDITATIO S. EPISTOLÆ
DOMINICA I.
POST NATIVITATIS.

In Sanctæ & summè Laudandæ Trinitatis, Patris, filii & Spiritus Sancti nomine.

Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est omnibus sperantibus in se. Ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, inveniarisq; mendax. Prov. 30. v. 5, 6. Insignis commendatio verbi Dei â Salomone his verbis proponitur. Verbum Dei dicit Salomon est propugnaculum, deinde verbum Dei est clypeus credentibus in illud. Addit etiam necessariam dehortationem ab additione ad verbum Dei aliquid. Hoc enim indè consequitur mali, quòd Deus velit illum, qui addit aliquid, graviter punire, & hoc dedecus, ut mendaces, tales inveniantur. Et hoc etiam Epiphonemate clauditur totus Bibliorum codex â Johanne in Apocalypsi cap. ultimo. Inde percipimus satis superq; quòd reverenter tractandum verbum Dei, non ut fætus aliquis sapientiæ humanæ, qui tamen magni quoq; â mundo æstimatur, & interdum proh dolor pluris fit, quam fieri debet, ita tractandum verbum Dei, ut nihil â nobis addatur, nihil venditetur pro verbo Dei quòd non est, nihil ei æquiparetur ex verbis sapientiæ humanæ. Et cum rectè verbum Dei tractatur & æstimatur, habet secum hunc fructum, ut clypeum præbeat credentibus in illud, unde sperantes in Deum sic fortificantur & consolidantur in fide, ut nihil timeant, non diabolum, non infernum, non homines, evitant pœnam Dei, & alia mala, laudantur etiam ut veritatis amantes, pro quibus

Deus pugnabit, ut dicit Syrach. cap. 7. defende veritatem usq; ad mortem, & Deus pugnabit pro te. Verbum Dei enim ſuppeditat efficaces conſolationes, auditum, lectum & meditatum ſuppeditat efficaces ſtimulos pœnitentiæ, interdiu probè ac diligenter cogitatum. Conſolationem quidem egregiam habemus in verbis hujus Epiſtolæ.

ORemus etiam Deum ut hanc Epiſtolam ita meditari queamus, ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinæ & bonorum operum, in ſpem & fiduciam, & tandem in æternam beatitudinem, dicamus igitur Pater noſter &c.

Textus. *Galat. 4. v. 1. usq; ad 8.*

INſtituit Apoſtolus ſermonem de conditione hæredis, quòd hæc ſit, ut quamdiu eſt infans vel minorennis, ut nullum ſit diſcrimen inter eum & ſervum, quamvis ſit Dominus omnium poſſeſſionum, ſed eſt ſub tutoribus & directoribus ad tempus â patre conſtitutum. Hunc ſermonem poſtea applicat Apoſtolus ad negotium ſalutis noſtræ. Et quod Judæi quidem, quorum ê numero erat Apoſtolus, & quidem ex ſecta Phariſaica, legis Moſaicæ obſervationi potiſſimum dediti erant, tamen inquit Apoſtolus de ſe & aliis Judæis: eramus ſub ſtatutis & traditionibus. Cum vero inquit tempus impletum eſſe, tunc Deus miſit filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege, ut redimeret eos, qui ſub lege erant, & ut acciperent filiationem. Hinc infert Apoſtolus, quia Dei filij eſtis, miſit Deus teſtem filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba pater. Iam itaq; non eſt ſervus ſed filius, ſi filius, eſt etiam hæres Dei per Chriſtum. Admonemur præcepti quarti: honora

patrem

patrem & matrem, ut sis longævus super terram. Confirmatur articulus fidei nostræ sc: de Christo, quòd verè filius Dei & Mariæ, quòd legi subjectus propter nos & nostram libertatem spiritualem â maledictione legis, non libertatem occultandi malitiam, ut Apostolus alicubi loquitur. Confirmantur omnes tres articuli de Trinitate, quòd in divinæ essentiæ unitate, tres sint distinctæ personæ, pater prima est persona, quæ dicitur mittere filium suum; altera persona est filius; tertia est spiritus Sanctus, qui hìc dicitur spiritus filij, quem Christus nobis suo abitu ad patrem promeritus est. Omnes hæ tres personæ hìc nominantur. Exitamur ad orandum: dimitte nobis debita nostra.

PARTES

1. *De conditione hominum sub lege, quàm imperfectus erat homo, ad consequendam salutem legis observationem.*
2. *De perfectissima via & modo, absolvendi & perficiendi hominum, æternam salutem per Christum.*

Atq; hæ sunt istæ Partes, quas hâc vice brevitèr & simplicitèr tractare constituimus: *Omnipotens & æternus DEus, Pater noster cœlestis dilectissimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utilitèr & fructuosè cedere faciat.*

PRIMA PARS.

In quâ meditamur.

I. Sermonis Apostolici de

hærede minorenni occasionem. Cæpit Apostolus in capite præcedenti loqui, de gratia Dei per scriptu-

ram expressâ sententiâ: Quòd omnes sub peccatum concluſit, quòd omnes homines ſint peccatores, & quod promiſſio ſive promiſſa ſalus daretur credentibus ex fide in Chriſtum. Priuſquam, inquit, advenerat fides, priuſquam incepit homo credere in Chriſtum, ſub lege erat, quaſi ſub cuſtode, donec fides in Chriſtum accenderetur, atq; ita lex pædagogus erat hominis, docens ad Chriſtum confugiendum, ut ex fide juſtificemur, poſtea vero non eſt homo ſub lege, tunc enim, inquit, omnes ſunt filii Dei ex fide in Chriſtum Jesum. Omnes, inquit, qui in Chriſtum baptizati ſunt, Chriſtum induerunt. Negat porrò eſſe jam aliquem Judæum vel ethnicum, non ſervum, non liberum, non virum vel fœminam omnes, inquit eſtis in Chriſto Jeſu. Vos, inquit, Chriſti eſtis, vos ſemen Abrahæ eſtis, & juxta promiſſionem hæredes; Ubi Apoſtolus non negat diſtinctionem ſexus, ſed diſtinctionem quoad religionem & viam ſalutis.

L. C. Lapſus generis humani in peccatum, verè eſt macula, omnibus hominibus adimens cauſam gloriandi, ut loquitur Apoſtolus ad Rom. 3. v. 19. ad v. 31. Diſcamus veram humilitatem, conſiderantes miſeriam noſtram propter adhærentem nobis iniquitatem. De quo miſero ſtatu admonet & docet Eliphas amicus Jobi, & ad humilitatem adhortatur ſectandum. Job. 15. v 1. ſeq. ad v. 17. Quid eſt quòd ſuperbis pulvis & cinis? Humiliemini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltat; non glorietur dives de divitiis, non ſapiens de ſapientia, non fortis de fortitudine ſua. Ier. 9. Quantò major es, tantò te geras ſubmiſſius.

II. Hæredis & ſervi appellationes.

Servorum conditio in V. T. & nunc apud quoſdam

quosdam populos, valdè dura est, sunt enim plerumq; empti servi & ancillæ. Talis erat conditio juxta Mosen, legis hæc, ut describitur Exod. 21. v. 1. seq. ad v. 15. & v. 32. & passim alibi. Hæres est, qui in domo natus, estq; hæres omnium, ut dicit Apostolus, sicut de Isaaco dicit Eleazar, Abrahami servus. Gen. 24. v. 56.

L. C. 1. Hæc distinctio, quâ alii sunt Domini, & alij sunt servi, est â Deo, ideoq; æquo animo ferenda, & durat tantùm in hac vita, est tantum quoad corporalia, ad dignitatem corporalem, ad divitias & fortunam, in spiritualibus vero privilegiis prorsùs nulla est, ut apertè testatur Apostolus dicens, in Christo non esse Ethnicum vel Iudæum, masculum vel fœminam, Dominum vel servum, sed omnes in Christo unius esse, & quidem optimæ conditionis, sunt enim omnes pii & fideles, filii Dei & cohæredes Christi, ideoq; Apostolus dicit: si servus vocatus es, ne cures, si verò liber esse potes, facias Egregiam admonitionem, ex hac distinctione divina ponit pro dominis & servis, ad Eph, 6.

L. C. 2. Liberi non inde superbiant, quòd sint nati domini omnium bonorum paternorum, venerentur parentes, sint obedientes & diligentes, non petant ante tempus hæreditatem sicut filius ille prodigus, qui illam quidem â pio patre accepit, sed nulla cum benedictione, ideoq; evenit illi, ut incideret in malum sodalitium, in helluones & gerrones, qui infra brevi omnia bona abliguribant, & ille ad extremam redactus penuriam, bubulcus factus. Meminerint liberi hæreditatem sibi destinatam, & quidem cum benedictione, si parentum suorum nutum sequuntur, eis obediendo & honorando; præceptum quartum, honora patrem & matrem, promissionem

missionem habet, quòd honorantes parentes, futuri sint longævi in terra, prosperè eis omnia succedant dum vivunt. Ubi quidem palam castigati etiam locum habet, quod pro re nihili habendum; bonum est mihi Domine quod humiliasti me, Dominus filium, quem recipit, castigat.

L. C. 3. Parentes prospiciant filiis suis pios & bonos tutores & directores, quibus curæ erit servare orphanorum patrimonia, quantum quidem licet & possibile fuerit. Cogitent tutores facere aliorum liberis, quod suis velint aliquando fieri, hoc aliis faciant. Caveant sibi ab omni dolo & fraudulentia; pupilli noverint sibi præceptum quartum etiam dictum, ut his qui parentis loco sunt, filialem præstent honorem & debitam obedientiam. Videant tutores cum primis, ut in timore Domini educentur pupilli in vera religione, ne seducantur in tenella ætate & ita animæ faciunt jacturam, quâ nulla jactura gravior est.

IV. Sermonis Apostolici de

servo & filio ad æternæ salutis negotium, applicationem. Applicat Apostolus priorem suum sermonem, de hæreditate & servo in domo, nec non tutoribus & directoribus, ad spiritualium rerum declarationem, videlicet ad explicandam conditionem & statum nostrum sub lege. Pariter & nos, inquit, cum filii essemus tenebamur sub extrinsecis traditionibus. Intelligit Apostolus per has traditiones extrinsecas, non legem moralem vel decalogum, sed ceremoniales leges de sacrificiis, festis, purgationibus variis, quæ habebant umbram futurorum bonorum, Ebr. 10. v. 1. seq. ad v. 7.

Etiamsi

Etiamsi fiebat in his ceremoniis peccatorum remissio, & salus æterna contigit credentibus in futurum mundi Messiam, tamen obscuræ hæ erant, & tentationes oriebantur in cordibus hominum, tam diu expectantium Messiam, sæpè enim cum gemitu dixit vetus Ecclesia; veni Domine, jam veni per viscera virginis visitans nos ex alto, veni Domine & noli tardare.

L. C. Quare Deus alio atq; alio modo diversis temporibus mundi regere voluerit, nostrum non est inquirere; longo tempore, & usq; ad Abrahamum circumcisio non erat, & tamen homines salvabantur, postea vero institutum hoc sacramentum, & ita severè mandatum, ut omnis masculus illo uteretur, si verò secus, anima ejus eradicanda erat de suo populo, Gen. 17. duravit hæc ceremonia usq; ad Christum, & ad Apostolorum ætatem, postea prorsus abrogata, & servatus est baptismus, servandus usq; ad finem mundi. Hic vero non dicendum: quare Deus sic variat sacramenta, aliasq; ceremonias? contenti simus eo quod is facit. Iam habentes baptismum & cænam Dominicam, non reassumimus circumcisionem vel agnum paschalem, utamur eo, quod habemus ad manus, in his quæ didicimus ne alius accipiat coronam nostram. Meminerimus Apostolici illius: si angelus de cœlo, aliud Evangelium prædicaverit, anathema sit.

SECUNDA PARS.

In prima parte informavit nos Apostolus, de statu Ecclesiæ Judaicæ ante adventum Messiæ, declarans illum quâdam similitudine hæredis & servi; in hac altera parte felicitatem Ecclesiæ, post illius adventum expediemus.

In quâ meditamur:

I. Initii felicitatis Ecclesiæ

descriptionem. Apostolus vocat hoc initium, plenitudinem temporum; non in temporum initio, non in medio, sed in fine & plenitudine temporum, cum omnia præcesserunt adventum Christi, quæ præcedere debuerunt. Postquam Deus toleraſſet magna longanimitate prioris mundi malitiam, & illam tandem delevit inundatione diluvii, servatis tantum octo animabus. Postquam Abraham mutasset patriam, & promissio ei facta, de multiplicatione seminis ejus instar stellarum cœli, impleta esset. Post datam in Sinai legem, & eductum ex Ægypto populum Israeliticum. Post declaratam in terra Canaan illius populi habitationem, & babylonicam captivitatem. Post penitus amissum sceptrum Judæ. Post instauratam Romanam Monarchiam. Tandem Deus semen mulieris mox in initio mundi promissum excitat. Et hoc est quod Apostolus dicit, in temporum plenitudine, post tot temporum impletionem, sive exitum & finem. Ita dicitur de Elizabeta, quòd ei impletum tempus pariendi, cum pareret Johannem Baptistam præcursorem Salvatoris. Dies impleti sunt Mariæ matris Salvatoris, & peperit primogenitum.

L. C. 1. Opera Dei omnia fiunt iusto & determinato tempore, pleno tempore, non ante tempus justum, non post illud; quare & omnia ejus opera laudem merentur, & singulari cum gratia â piis meditantur. Psal. 111. per totum.

L. C

L. C. 2. Quia filius Dei in temporis plenitudine natus, non reſtant alia tempora naſcendi Meſſiam, ut ſtulti Judæi ſentiunt, id quod etiam Iohannes Baptiſta reſpondit Judæis mittentibus ad ipſum, & quærentibus; eſſetne ille, qui venturus eſſet, vel alium expectarent? Reſpondit ingenuè: non ſum ego, non Propheta, ſum præcurſor Meſſiæ, paro ante eum viam, venit ille, ſtat in medio veſtrum, vos ignoratis ipſum, ipſe jam baptizat ſpiritu S. is per meum baptiſma operatur, non itaq; Meſſias alius præter eum (venerat ante annos 1652) expectandus, non ut naſcatur, non ut patiatur: ſed expectandus quotidiè, ut finem faciat horum mundanorum, & faciat omnia nova. Quarè & merito dicamus: veni Domine Jesu, Domine veni, & ſicut promiſit, citò veniet. Apoc. 22. v. 20.

II. Filii Dei miſſionem.

Cum venit, inquit Apoſtolus, plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum. Hæc admirabilis miſſio & imperſcrutabilis, de hac miſſione loquitur Chriſtus ipſe Joh. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret. Fuit hic filius ungenitus filius, genitus ab æterno, diſtinctus â patre & ſpiritu S. non quoad eſſentiam, ſed tantum quoad perſonam, mittitur hic filius ut naſcatur ex muliere: mirabili & inenarrabili modo, quem breviſſimè attingit S. angelus Gabriel, in annunciatione conceptionis & nativitatis filii Dei ex Maria: concipies, inquit angelus, in utero tuo & paries filium, cujus nomen vocabis Jesus, hic erit magnus, & vocabitur filius altiſſimi, & Dominus Deus dabit ei ſedem patris

tris ejus David, & erit ſuper domum Jacob in æternum, & regiminis ejus non erit finis. Hæc ubi prolocutus angelus, quærit S. Maria, quomodo hæc conceptio fieret? Ibi reſpondet Angelus: Spiritus S. ſuperveniet tibi, & virtus altiſſimi obumbravit tibi, ſed quod ex te naſcitur Sanctum, vocabitur filius Dei. De hac miſſione filii edidit Deus promiſſionem mox in Paradiſo, in Evangelica illa concione, ad erigendos protoplaſtos noſtros in peccatum prolapſos, dum dicit: ſemen mulieris conteret caput ſerpentis, Gen. 3.

L. C. Quòd filius Dei homo factus ſit, immenſum eſt Dei beneficium erga genus humanum, per quod, illud reparatum, reſtauratum, & priſtinæ dignitati reſtituitur, & hæreditatem regni cœleſtis adipiſcitur De incarnationis filii Dei beneficio, concionatur S. Petrus Act. 3. v. 22. ſeq. ad finem. De hoc beneficio canit Zacharias in ſuo cantico, Luc. 1. v. 68. ſeq. ad 76. Et S. Maria in ſuo cantico, Luc. 1. v. 46. ſeq. ad 56.

III. Filii Dei miſſionis finem.

Finis quâ duplex indicatur: primus eſt, ut redimeret eos â lege, qui ſub lege erant. Alter, ut conſequeremur jus liberorum. 3. ut Spiritum filii Dei in cordibus noſtris clamantem, Abba ſive dilecte pater, haberemus. 4. hinc fit, inquit Apoſtolus, ut non ſint amplius ſervi ſed liberi, quod ſi liberi ſimus, ergò hæredes Dei per Chriſtum. Miſſionis filii Dei finem, Chriſtus Ioh. 3. ſic proponit: Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat ſed habeat vitam æternam. Hìc duo ponuntur

fines

fines missionis filii Dei, videlicet ut omnis credens in eum non pereat sed habeat vitam æternam; non perire idem est, ac liberum esse à maledictione legis. Lex non modo maledictiones habet plurimas temporales, quæ recensentur, Deut. 28. & alibi, sed potissimum maledictionem æternam, condemnationem ad æternam mortem & infernales pœnas, in tenebras exteriores & fletum & stridorem dentium. Apoc. 21. v. 8. Vocatur hæc maledictio legis, spiritualis vel æterna, stagnum ardens sulphure & igne, & mors secunda. Hanc maledictionem sensit dives epulo, & miserè de ea conqueritur, quòd graviter torqueatur in hac flamma. Ab hac maledictione, Christus potissimum nos redemit. Vocatur nomen Christi Jesus, inquit Angelus, quia salvum faciet populum suum à peccatis suis. Stipendium peccati mors, & potissimum mors æterna. Ab hac enim morte, Christus nos liberavit impetrando nobis remissionem peccatorum. Morimur quidem exeuntes ex hoc mundo, sed mors hæc credentibus in Christum, jucunda mutatio luctus & doloris in gaudium, mutatur saccus tristitiæ in stolam lætitiæ, ob quam mutationem perpetuas dicamus Deo gratias. Corpus quidem terræ mandatur ad extremum mundi diem, in quo judicem habebit vivorum & mortuorum, resurrectio erit & separatio fidelium. Fideles ibunt etiam cum suis corporibus in vitam æternam, infideles verò in cruciatus æternos, Matth. 25.

L. C. Quia varii sunt fines & effectus missionis filij Dei in carnem, ut: redemptio à lege, jus liberorum, spiritus Sanctus testans cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei, libertas, hæreditas vitæ æternæ; utiq; debem⁹ vive-

re ad voluntatem Christi & obedire ei, cum vult nos congregare sicut gallina congreget pullos sub alas suas. Utinam queamus Christo, nos ad se vocanti, parere, cum ille dicit: agite pœnitentiam; cum ille dicit: venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis ego reficiam, vos; cum ille dicit: Tollite jugum meum super vos & discite â me, quia mitis sum & humilis corde. Matth. 11.

CLementissime Deus pater cœlestis, qui in tempore tibi accepto misisti filium tuum, natum ex muliere, factum sub lege, ut redimeret eos, qui sub lege erant, per quem nos facti filij, non amplius servi existentes. Da nobis quæsumus tuam gratiam, ut hanc tuam divinam benevolentiam grata mente agnoscamus, teq; in omnes æternitates laudemus & celebremus Per & propter filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum & Spiritu S. vivit & regnat in sempiterna secula, Amen.

BEnedictio & claritas, & sapientia & gratiarum actio, & honor & virtus, & fortitudo Deo nostro, in secula seculorum, Amen. Apocal. 7. 12.

QUÆSTIONES.

I.

An Apostolus hìc confert Ecclesi-

cleſiam Iſraeliticam cum Eccleſia Chriſtiana? Reſponſio.

I.

Omninò ita ſtatuendum Paulum hic Eccleſiam Iſraeliticam quæ ſub veteri Teſtamento fuit, conferre cum Eccleſia Chriſtiana; ut inde pateat, quid inter nos conveniat, & quid alij ab aliis differamus. Hæc comparatio uberrimam doctrinam continet, atq; imprimis utilem. Primò hinc colligimus, ejuſdem hæreditatis ſpem fuiſſe patribus ſub Vet. Teſtamento, quam hodiè habemus, quia ejuſdem adoptionis participes fuerunt, non enim (quemadmodum dum ſomniant fanatici quidam, & inter alios Servetus) in hoc tantum electos fuiſſe â Deo, Paulus docet, ut nobis aliquem Dei populum figurarent, ſed ut nobiſcum eſſent filii Dei: & nominatim teſtatur, non ad eos minus, quam ad nos pertinere ſpiritualem benedictionem Abrahæ promiſſam.

II.

An patres in Vet. Teſt. de ſua adoptione certi erant? Reſp.

De.

De adoptione ſua ſub Veteri Teſtamento, certi erant patres, ſed non dum jure ſuo ita planè fruebantur. Hic ergò adoptio capitur, ſicuti ad Romanos cap. 8, v, 23. ſeq. ad finem. Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus eſt qui juſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus pro omnibus mortuus eſt: Imo, qui & reſurrexit, qui & eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ſeparabit nos â charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius. Etſi ſcriptum eſt, Pſal, 44. v. 23. Propter te morimur tota die. Æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. Sed tamen in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos, Certus ſum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; inſtantia, neq; futura, neque fortitudo neq; altitudo, neq; profundum, neque creatura alia, poterit nos ſeparare â charitate Dei, qnæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Nam ſicuti ultimo die percipiemus redemptionis noſtræ fructum: ita nunc percipimus fructum adoptionis, cujus Sancti Patres ante Chriſti adventum compotes non fuerunt, Ergò qui Eccleſiam onerant immodicis ceremoniis, debito adoptionis jure illam iniquè fraudant.